



RECTOR
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
CHRISTIANVS
FRIDERICVS
BAVERVS

S·S· THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFES
 SOR PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM
 REGIOELECTORALIVM EPHORVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D

Coll. diss. A
 258, 20

Coll. Diss. A. 258/20



*

*

*

Vicimus! afferuit sese, rupitque catenas
Mortis et inferni, Servator, nec genus ultra
Serviet humanum, quod dura compede vinctum,
Indigna vinctum Servator compede solvit.
Qualis, ubi Andromedam, Perseus, materna luentem
Crimina, et ad duras religatam in littore cautes,
Aspexit miserans, clypeo confusus et ense,
Pone metum, Virgo: non es sine vindice, dixit;
Nec mora, congreditur, monstrique per ilia ferrum
Exigit: illa ferae, mortique erepta, catenis
Solvitur, et dominum Servatoremque salutat.
Nec capit attonitus sua gaudia, Persea Cepheus,
Persea Cassiope, victorem Persea virgo
Libera conclamant: resonant Persea rupes.
Haud aliter leto felix, celebrisque triumpho
Servator gentem humanam miseratus, et usque
Lumina, quod poterat, longo liventia fletu,
Tollentem in coelum, iamque ultima pene ferentem,
Atque veni, Vindex, clamantem, et multa voventem,
Servitio et vinclis, luctuque exemit acerbo.
Ardua res hominum vires transcendere visa,
Quaeque nec Atridas fortes, pugnaeque scientes
Posceret Aeacidas, ast ipso numine plenum
Vindicem et Heröem, tanto cognomine dignum.



Sed quid ego aspicio (*) textum illi informe rubore,
Squalentem guttis tunicam? chlamys atra colorem
Insolitum, veluti calcata duxit ab uva,
Compressique pedum macularunt vincla racemi.
Heu! Tibi quis niveos tam foede infecit amictus?
Heu Tibi quo species evanuit ista repente?
Tunc ille aeternae splendor nitidissime lucis,
Pulcher luce magis, nitido formosior astro?
O coeli iubar, o Oriens, o Lucifer alme,
Lumine cuncta animans, illustrans omnia luce!
Quem quondam vario, rerum ipsa in origine, cantu
Laudabant elementa tuum admirata decorem,
Laudabant alternantes et vesper et ortus,
Lunaque, solque, poloque orientia sidera utroque.
Heu mihi Lucifero quantum mutatus ab illo es?
Heu mihi mutato quam factus decolor ore?
Quam niger aspectu, quam deformatus amictu?
Quis Te percoxit tantus calor? haud tibi vultus
Sol aestu infuscat, non purpura tinxit amictus,
Longe alius rubor, atque alii infecere colores:
Solutus amor nostri fuit horum causa malorum!
Solutus amor fuscus fuit idem causa ruboris!

Vnus Tu nobis collectas comprimis uvas,
Suppositus trabe, mole gravi, sub pondere iniquo,
Deque tuo expressi tortu fluxere liquores,
Et totum, quae vina hilarant dulcedine mundum.

(*) Ies. LXIII.

Ipse Tuo nostram solvisti sanguine noxam,
Arboris affixus plantas et brachia trunco,
Nostra tuâ de peste salus, de funere vita
Nostra oritur, laetique tuo languore valemus.
Hunc Servatorem decuit succurrere nostris
Rebus, et antiquam pro nobis tollere culpam:
Hic libertatis causa est, hic causa salutis
Nostrae, qua fruimur. Per te sic vivimus omnes,
Per te felices, nostros superavimus hostes.
Salve igitur nostrae Vindex invicte salutis,
Salve Heros ingens meritis, quem tanta gerentem
Ipse Dei favor antevenit, comitatur euntem
Spes bona, perpetuis decorat victoria palmis
Pone sequens. Salve spes o fidissima pacis
Atque hominum communis amor, tutela, decusque!
Devoto haec retinete animo, verbique ministris,
Talia qui nobis tradunt benefacta frequenter,
Iam mecum, CIVES, GRATI PIA REDDITE DONA.

P. P.

IPSO PASCHATOS SACRO

A. R. S. cl^o l^o CC XLV.

VITENBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.

Coll. diss. A. 258, misc. 20